



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

§. IV. Respondetur testimonijs Scripturae perperàm à Wendrockio, & loco
D. Augustini malè à Sinnichio allato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

S. IV.

Respondetur Scripturis perperam à Wendrockio, & loco D. Augustini malè à Sinnichio allato.

20. **C**Æterùm cùm ad Scripturas Sanctosque Patres prouocet Wendrockius, easque à se stare tam magnificè proclamat, vt hominis prædiciam fucosque detraham, quibus veritati os oblitit, & populo palpum obrudit; iuuerit, saltem quæ ex sacra paginâ affert testimonia, breuiter perstringere. Patebit sanè, quàm de nihilò sint, quæ tam prædicer & præferuidè jactat doctrinæ suæ fundamenta. Et quidem primus locus est ex D. Matthæo; apud quem Christus ait, *finite illos; cæci sunt, & duces cæcorum. Cecus autem si ceco ducatum præstet, nonne ambo in foueam cadunt?* hic exilit Wendrockius; *quis enim inquit, neget cæcum esse qui opinionem falsam sequitur?* Ego sanè id nego, & negant omnes quotquot prudenter eum agere censent, sequendo quod est probabile, vt supra numero 7. ostendi, & ostensuri sumus porrò deinceps. Qui autem prudenter agit, cæcus esse aut cæco modo agere censendus non est. Et verò, vt aliqua opinioni probabili cæcitas inesset aut ignorantia, an illa est cæcitas de quâ Christus agit, & quæ in foueam ducit? Hoc inquam quæro, an Christus isthic asserit omnem omnino cæcum in foueam prouere, & omnem omnino cæcitate peccato mortali esse obnoxiam? Sanè de Pharisæis isthic loquitur, quos paullò antè egregiè perstrinxerat hypocrisis, id est malæ fidei fictæque virtutis: illos inquam, qui legem naturæ de honorandis parentibus non ignorabant, sed peruertebant nefariè, quique meris falsimoniis & legem Dei & populum deprauabant. Denique hos hypocritas esse asserit *de quibus bene prophetauit Isaias: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Tales autem cæcos, id est voluntariè & affectatâ cæcitate laborantes, quorum cor longè est à Deo, asserit in foueam ducere. An idcirco cæcitatistam damnabilis & impiæ dicendus est hoc loco condemnari is, cuius cor adeo non longè est à Deo, vt non aliud velit nisi scire quid Deus à se exigat:

Dissoluntur ea quæ obiciuntur ex scripturis.

Prima obiectio.

Matt. 15.
v. 14.

Wendr.
sup. lect. 2.
s. 2.

Matt. 15.
v. 6. 7. 8. 9.

Ibid. v. 8.

exigat : sanctamque eius voluntatem cum certò nequeat assequi & interpretari , eam sequitur quam Dei voluntatem esse prudenter iudicat , probabilibus inquam inductus fundamentis ? Sanè ne per umbram quidem hic est Scripturæ sensus. Cæci in foueam cadunt , sed malitiâ & peruersitate suâ cæci : error , sed affectatus , in peccatum proruit , non verò inculpatus & inuincibilis : vti tractatu superiore planum fecimus. Probabilem autem opinionem quisquis sequitur , non est quòd sibi à foueâ extimelcat. Nam vt rectè Psalmista , solus is qui *parturiit ini-* Ps. 7. v. 15.
justitiam... & peperit iniquitatem , lacum aperuit & effodit 16.
eam ; & incidit in foueam quam ipse fecit.

Secunda
obicitio.

Alter è sacrâ pagina locus est è Prouerbiis desumptus , *Est* Prou. 16.
via que videtur homini recta , & nouissima illius ducunt ad mor- v. 25.
tem. Quid validius inquit Wendrockius ? Et quid imbecillius inquam ego , vt pedem figat , suumque commentum fulciat ? Est , inquit Sapiens , aliqua via quæ videtur homini recta , & quæ tamen ad mortem ducit : igitur omnis via quæ videtur homini recta ducit ad mortem , id sanè prorsus non sequitur. Neque id etiam asserit Sapiens. *Quid enim est aliud via que videtur recta & non est ,* inquit Wendrockius , *nisi falsa probabilitas ?* Ita sit vt vult. Ergo ducit ad mortem ; hoc certè prorsus nego : neque consecutionem eam esse legitimam vlli , ne sibiipfi quidem facile comprobarit. Est sanè via aliqua quæ videtur homini recta ; *via nempe cupiditatis* inquit A lapide , *affectus* A Lapide
inordinati , voluptatis , ambitionis ; hæc hominibus affectione in cum
nimiâ excæcatis recta videtur , honesta , & commoda ; & tamen non nisi morte concluditur. Istud autem quid hic facit ad rem ? aut cur eiusmodi fallaciæ , in re sane grauissimâ obtruduntur ? hoc certè est Scripturis abuti ; & ex sacris oraculis temerè prorsus patrocinium quærere falsitati.

Tertia ob-
icitio.

Tertium & palmare est , quod ex Euangeliiis affert. *Nulla* inquit *umquam opinio falsa , fuit probabilior , quàm ea quâ Ju-*
deæ , quibus minùs bene cum vxoribus conueniebat , fas esse cense-
bant dare illis libellum repudiij ; nullus id apud ipsos doctus vel Matt. 19.
suspiciabatur illicitum. Apertè enim id permiserat Moyses ad duri- v. 3.
tiam quidem cordis eorum , vt ait Christus. At id vnde poterant
elicere ? Et tamen ex Christi verbis , qui repudium , tantùm ad
duritiam cordis declarat esse concessum ; & demissam ab aliquo vxo-
rem

rem sine adulterio duci non posse, constans Patrum traditio conclusit, numquam Judæis repudium licuisse. Ita sit Wendroki. Verum an ii Patres qui asserunt Judæis numquam licuisse repudium, ac proinde contra legem naturæ peccasse materialiter, etiam dicunt formaliter peccasse, qui istud sibi permittente Moyse, ne suspicabantur quidem, ut tute dicis, esse illicitum? Hoc autem Patres si non asserunt, quid locus hic ad rem nostram quæstionemque quam tractamus pertinet? Deinde quo quæso auctore id tam præfidenter asseris, probabilem fuisse apud Iudæos sententiam, sine crimine licuisse dare libellum repudii; cum deinde fatearis, nullum doctum vel suspicatum fuisse id esse illicitum? hoc verò si nemo suspicabatur, jam non id erat ipsis tantum probabile, sed & certum. Et tamen peccarunt inquis. Hoc profectò nemo Sanctus Pater dixit, de iis qui illud non suspicabantur non esse illicitum. Verum ut dicam quid sit de re, facile erit eam expedire ex

D. T. in 4.
dist. 33. q.
2. a. 2.

D. Thomã in Magistrum Sententiarum. Testatur is, de Iudæorum repudiis, duplicem fuisse Patrum & Theologorum opinionem; & quosdam quidem censuisse, quòd *quamvis repudiare uxorem atque alteram ducere, per se sit malum, tamen ex permissione Divinã licitum factum*, dispensante nimirum per Moysen Deo, idque *ob duritiam cordis Judeorum*; id est, ad euitanda grauiora mala, quæ cæteroquin ob peruersitatem populi erant euentura. Quomodocumque autem dispensatum sit in lege, si verè dispensatum est, contra legem non peccari manifestum est. Itaque ex illorum sententiã, ne materialiter quidem peccarunt Iudæi; cum per Moysis indulgentiam, lex naturæ fuerit refixa. Alii autem, inquit D. Thomas, censuere eos qui sub lege, uxorem dato libello repudij dimittebant, non fuisse excusatos à peccato, quamvis excusarentur à pœnã secundum leges infligendã; & sic libellum repudij permissum fuisse propter maius malum cobibendum, scilicet propter uxoricidium, ad quod Iudæi proni erant propter corruptionem irascibilis: sicut & permissum eis fuit fœnerari extraneis, propter aliquam corruptionem in concupiscibili, ne scilicet fœnerarentur cum fratribus. Et tamen nec extraneis quidem fœnerari ipsis licuit absque scelere, quamvis à pœnã fœneratorum per leges constitutã aut inferendã, essent absoluti. Sic sanè & modò à Republicã meretricium aliquando permittitur, id est, auctoritate publicã non punitur; & tamen non exercetur absque peccato. Peccarunt itaque

De libello
repudij dis-
plex est Pa-
trum sen-
tentia.

Neutra fa-
uet VVen-
drokio, aut
ad eius rem
facit.

que Iudæi, non quòd probabile id ipsis esset, indulgentiâ Legislatoris sublatam esse legem; nullâ enim ratione id ipsis erat probabile: sed quod legis pœnam indultum cum esset euadere, legem ipsam naturæ, Dei que mandata deinceps haberent, neque de eorum obseruatione magna ipsis esset curatio. Rectè igitur conclusit constans Patrum traditio, numquam Iudæis repudium licuisse. Rectè etiam concludet vnusquisque, eos semper idcirco peccasse, non materialiter tantum, sed & formaliter. Verum quomodò exinde concludet Wendrockius, eos quibus verè probabile est legem non obstringere, si verè tamen lex obstringat, peccare etiam formaliter, opinionem probabilem si sequantur? Hoc tamen ex allato Scripturæ testimonio fuerat conficiendum: aut fallendi tantum gratiâ istud afferri, fit illic manifestum.

Atque hæ sunt ex sacris paginis ab iis adductæ probationes: 23.
Aduersari ex quibus, quam fidem mereantur in aliis, quas congerunt Pa-
in afferen- trum auctoritatibus, quasque longum esset persequi imò inutile,
dis auctori- facilis erit conjectura. Qui enim sacro-sanctis testimoniis sic ab-
tatibus, utitur, quid is in humanis peruertendis non audeat? In quibus
semper sup- id sedulo aduertendum est, semper eos supponere, vt ajunt,
ponunt id quod probandum est; scilicet errorem materiale, qui per pro-
quod pro- babilem opinionem si falsa sit committitur, semper culpæ esse
bandum obnoxium: Hoc autem, quod tamen probandum erat, cum
est. populo imposuere, tum verò Patrum fulmina, quibus illi qui
 voluntariâ cecitate & peruersitate mentis in errores se conjiciunt,
 acerrimè perstringuntur, hi auctores, promiscuè etiam in eos qui
 innocenter errant, à Patribus intorta esse inuidiosè quidem,
 sed falsò criminantur. Quòd certè est agere fide non opti-
 mâ; aut sanè ita affectionibus suis esse excæcatum, vt in Pa-
 tribus videant id quod non est, & videre tamen quod præfra-
 ctè volunt.

Denique amicè mihi monendus est Wendrockius, ne populo 24.
Non distin- *erroris & erronei* vocabulis malè perceptis imponatur, vt eum
guam: inter quem Theologi harum vocum sensum statuunt & differentiam,
errorem la- non dissimulet, & quod peius est, non confundat. Nam vt præ-
te sumpti, clarè Cardinalis Lugo, *Erroris vox latissimè sumpta, attribui*
est errorem *potest cuilibet propositioni falsæ in qualibet materiâ. Nam qui fal-*
Theolog. cii. *sus credit, errat à vero & decipitur. Communiter tamen ea vox*
 Lugode
 Fide disp.
 20. n. 73.
 solet

solet restringi ad falsum, quod opponitur non solum verò, sed evidenti, vel certo quod apud omnes communiter certò scitur. Nec appellatur ^{ponitur} error in Philosophiâ quelibet opinio falsa, sed que opponitur dogmati ^{differencia.} certo, & pro tali apud Philosophos recepto. Quare in Theologiâ non dicitur error, nisi qui certe alicui veritati aduersatur, que apud Catholicos & Theologos pro certâ habetur. Aliud est igitur sequi sententiam erroneam, id est errantem, aliud verò longè, sequi opinionem in Theologiâ erroneam, id est veritati quæ apud Theologos pro certâ habetur, aduersantem: certum est enim in moribus actionibusque dirigendis neminem hanc sequi posse.

25.

Wendr.
sup. sec. 2.
§. 1.

D. Tho.
quodl. 3.
a. 10.

Ibidem
sed con-
tra.

Cur verò differentiam hanc dissimulat Wendrockius, nisi vt tenebras rei claræ offundat, iisque inuoluat incautos? En nouum malæ fidei exemplum. Asserit D. Thomæ esse sententiam, neminem absque crimine sequi posse magistrum probabili ratione opinantem & docentem. Et vt id planum faciat, affert verba D. Thomæ, & quasi si apertè pro se starent, maiusculis ea caracteribus exprimit. Verba hæc sunt: *In his que pertinent ad fidem & bonos mores Nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri; in talibus enim ignorantia non excusat.* Triumphare hîc sibi videtur Wendrockius. Verùm ageris; illud interrogo, quid hic erroneæ opinionis nomine Sanctus intelligat? an illam de quâ hîc disputamus, quæque errorem latissimè sumptum continet? ne per vmbra quidem. De erroneis in Theologiâ opinionibus agit, quæque veritati apud omnes receptæ aduersantur. *In talibus dicit ignorantiam discipuli non excusare. Nec potest, inquit, excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequantur Consulere enim debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesie auctoritate percepit.* Et vt Sole clariùs mentem suam aperiat, pateatque omnibus, de quibus erroneis opinionibus agat, easque esse secundi generis, sic demum concludit. *Qui ergo assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum Scripture testimonium, siue contra id quod publicè tenetur secundum Ecclesie auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Atque hi sunt, inquit eodem articulo, de quibus dicitur, *si cecus ducatum ceco praestet, nonne ambo in foueam cadunt?* Quid hisce verbis D. Thomæ potest

Dissimulat
hanc diffe-
rentiam
Wendrock-
ius, vt D.
Thomam
à se flare
ostendat.

potest esse euentius? Et cur ea Wendrockius non exhibuit? dissimulauit enim uero, ut falleret, incautisque ut imponeret eam esse sententiam D. Thomæ, nullum excusari si sequatur quamcumque errantem opinionem alicuius Magistri, quantumuis probabilem. Cùm tamen manifestum sit, non nisi de falsis planè, quæque ab omnibus falsæ habentur, & non nisi pertinaciter defenduntur, Sanctum loqui. An autem hoc sit agere bonâ fide, & ut virum frugi decet, modesti iudicent. Et hæc quidem Wendrockio dicta sint; cui, utpotè ex latebris sua tela contorquenti, & istud ex D. Augustino monitum lubet mantissæ loco addere, *Tu uerò in latebras tuas redi, nec quidquam insidiare sub nomine ueritatis.*

D. Aug. l.
de uil.
cred. c. 14.

*Male confundis uiti-
um &
peccatum
Sinnichius.*

Verùm antequàm de hâc tabulâ manum tollam, est & in quo Sinnichium de bonâ fide, in proferendo pro se D. Augustini testimonio, interpellem. Istud depromit ex libro de utilitate credendi. *Tria sunt, inquit Augustinus, uelut finitima sibi in animis hominum, distinctione dignissima; intelligere, credere, opinari. Quæ si per seipsa considerentur, primum semper sine uitio est, secundum aliquando cum uitio, tertium numquam sine uitio.* Ita est, uerba sunt Augustini. Et quid deinde? *Si numquã sine uitio, est opinari, inquit Sinnichius, numquam ergo non uitiosum. Rursus si numquam non uitiosum, profecto numquam non inordinatum, numquam non monstruosum, numquam non nature rationali dissentaneum.* Egregiam enim uero collectionem, ut probet id de quo disputamus! nam ut opinio uitium nature sit ueritatem penitus penetrare impotentis, an eiusmodi uitium id esse asserit Augustinus, ut peccato aut sceleri uerti aut debeat aut possit? Cæcitas, surditas, aliæque membrorum mutilationes, nature uitia sunt, & numquam homini insunt sine uitio; an idcirco scelestum est, cæcùm esse aut surdum? Sic fanè, ueritatis penitus peruadendæ impotentia, uitium nature sit, hebetudo nimirum intellectûs: an ideò nemo, sine scelere, ueritatis ignorans est, nemo sine scelere opinatur? Sanè jam in sceleratorum ordinem redactus est Augustinus ipse, qui quamplurimas ubique opiniones suas in medium producit, atque sæpissimè de se fatetur *Ita mea fert opinio.* Et ne abeamus longè, hunc ipsum librum, ex quo allata est Augustini sententia, ita post paucas lineas orditur. *Quandoquidem hereticus est, ut mea fert opinio, qui &c.* Opinatus est ergo Augustinus ipse, & cùm opinio *numquam sine uitio sit, numquam*

26.

Sinnich.
in Saule
exrege l.
1. c. 97.
§. 364.

D. Aug. l.
de uil.
credendi
c. 11. to. 6.

numquam non monstruosa, numquam non nature rationali dissentanea, jam fanè patet in quem ordinem à Sinnichio redactus sit Augustinus. Non quæramus itaque nodum in scirpo, neque ut Latine loquamur, inuoluamus rem. Longè fanè differunt, vitium naturæ & peccatum: de illo non quærimus, de hoc disputamus. Tu dicis Augustinum docere Opinionem esse naturæ vitium; ego verò à te peto vbinam Augustinus dicat, opinionem omnem peccatum esse, & scelera esse ea omnia quæ ex opinione probabili perpetrantur? Hoc verò si non ostenditur ex Augustino, nihil profus agitur ad rem nostram quod sit.

27. Non tamen hîc hæreo. Causatus enim sum, fide non bonâ producta esse Augustini verba; sensu videlicet quem, cum hæc proferret, non habuit Augustinus. Fateor; dixit Augustinus hoc loco opinionem *numquam esse sine vitio*, Quinimò, quodd miror à Sinnichio omissum, paucis antè lineis, opinantes rigidissimâ censurâ perstringit; *Tria, inquit, sunt hominum genera, profectò improbanda & detestanda. Vnum est opinantium.* At de quibus opinantibus hîc agitur? Dicam. Certè nihil est manifestius, quàm quodd de Manichæorum opinionibus toto hoc libro sit Augustini disceptatio; quem quidem ad Honoratum amicum suum conscripsisse se testatur in proæmio, quem adhuc nouerat illorum erroribus detineri. Nolebant illi aut credi Ecclesiæ, aut quidquam ratione intelligere; sed opinione suâ volebant omnia circumscribere & definire: neque vllâ aut Scripturarum auctoritate, aut ratione inquirenda esse dogmata, quàm quæ ipsi opinione suâ tamquam rata & fixa statuebant; neque vlteriùs earum veritatem esse inuestigandam; satis esse, sese sic opinari. Atque hic erat apud Manichæos docendi modus. Contra hos inuehitur Augustinus; de his dicit improbandos profectò esse & detestandos. Et hanc quidem eius esse mentem, clarissimè euincit orationis contextus. Cùm enim dixisset, *Tria esse hominum genera profectò improbanda & detestanda, Vnum opinantium*: ut ostendat de Manichæorum opinandi genere sese loqui; statim subiungit, *id est eorum qui se arbitrantur scire quod nesciunt.* Et mox quibusdam interjectis, ut euidentiùs se de Manichæorum opinandi modo loqui demonstret, *opinari, inquit, duas ob res turpissimum est; quod discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit;*

Item malè fide pro se affert locum Augustini in quo non de probabili sed de Manichæâ opinione loquitur.

Et per se, ipsa temeritas non bene affecti animi signum est. Quid verò hæc ad opinionem probabilem, de quâ nobis lis est, pertinent? an modus probabiliter opinandi, quidquam cum Manichæorum opinandi genere, vel per speciem habet commune? *Primum* de illo, turpissimum esse asserit Augustinus sic opinari. Probabili autem ratione opinari, id est prudenter iudicium ferre, quisquam hominum, ne dicam Augustinus, dicet esse turpissimum? *Deinde* qui probabiliter opinantur, non arbitrantur, id est non statuunt *certò se scire quod nesciunt*; sed quod non planè sciunt, arbitrantur se probabili saltem ratione assequi. *Tertio*, qui probabiliter opinatur, doceri & potest & vult, neque quidquam tantoperè optat quàm de veritate penitus instrui; rationes omnes adhibet indagandæ veritatis: quam quia non datur funditus peruestigare, gaudet saltem probabili ratione sibi eam esse compertam. *Quarto*, temeritate non agitur; nam prudenter rationem rebus applicat, neque adhæret nisi verè probabilibus, dum certas inuenire in manu eius non est. *Quinto*, optimè *affectus est animo*; nam istud optat, istud sibi præfixum habet, veritatem inquirere, eique inuentæ omni studio penitus inhærere.

Sincerè explicandi sunt Patres, ne alioquin populo videamur velle impetere.

Cùm ergo tanta sit inter Manichæum opinandi genus, probabilemque opinandi modum diuersitas, cur ea quibus Augustinus illos infectatur, probabili opinandi modo tam perperam applicantur? cur dissimulatur Augustini mens? hoccinè est Sanctos Patres pro se afferre, an ad proprium sensum detorquere? Obsecro Sanctorum mentem sincerè explicemus, eorum verba dum proferimus, ne alioquin veritati nubem obducere, & legentes decipere velle videamur. Sed satis sit. Ego ad alia me accingo. Istud enim ostendendum nunc est, communem totâque Ecclesiâ peruulgatam sententiam, solidissimis nixam fundamentis, tenues auras, quantumuis malignas, non exhorrescere; eamque ventis aduersis non tam commoueri, quàm inuictum veritatis robor ostendere.

28.

s. V.